Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Joh. Jonstoni Thaumatographia Naturalis

Jonston, Jan

Amstelodami, 1661

Caput IV

urn:nbn:de:bsz:31-97032

Visual Library

periodum futuram quam Deus naturæ præſcripſit, putat *Molinæus*: intra quingentos vel ſexcentos annos fieri poſſe addit. *Cardanus* capita motuum hujus orbis, non modo in contrariis locis futura anno milleſimo octingenteſimo ait; ſed & contrario motu. Inde magnam in Chriſti lege, ex eo mutationem futuram colligit, *de variet. rerum lib.* 2. *cap.* 3.

CAPUT IV.

DE QUINQUE PLANETIS.

STellæ errantes Planetæ dicuntur; quorum ſeptem priores numeravere, quatuor circa Iovem addidere moderni, haud circa Saturnum pauciores. Orbis unicuique ſuus, nodis, Epicyclo, & æquante conſtans. Motus præ cæteris liberior: modò ſalutant mortalia, deſerunt modò. Hinc augis, & abſidis, perigæorum & apogæorum apud Aſtronomos nomina. Tanta verò ejus difformitas, ut Saturno XXX. debeantur anni, Iovi XII, II. Martii, trecenti ſexaginta dies Veneri, totidem Mercurius repoſcat. *Illa ſydus ipſis cognominibus Solis & Lunæ æmulum. Præveniens quippe, & ante matutinum exoriens, Luciferi nomen accipit, ut Sol alte diem maturans: contra in occaſu refulgens nuncupatur, Veſper, ut prorogans lucem, vicemque Lunæ reddens: Plin. lib.* 2. *cap.* 9. Cauſam vagi decurſus Soli adſcripſere nonnulli; qui radiis ſuis, vel propellat ſuperius, vel removeat ad latus, vel ſecedens in ſuis manere patiatur locis. Influxus inſignes, medicamenta, balnea, phlebotomiæ, plantatio, operum electio, aëris mutatio, ad horum, à quibuſdam exiguntur, poſitus. Obſervatum, peſtem Saturni per Leonem, aut Sagittarium decurſu, circa Wittebergam exaſperari, Martis ſedari acceſſu; Norinbergenſibus ex Geminorum, aut Sagittarii idem intentari ſignis. Quibus lumina cardinibus inſidentia Mars & Saturnus quadratis impetunt radiis, brevis vitæ ſunt; nutritionis

nis ſi exceſſerint annos , arduum, juventæ conſpicere florem. Auget vires conjunctio. Si aliquo naſcente Mars & Venus concurrunt, contaminatur concupiſcibilis; magis, ſi in Capricorno, & adſit Mercurius. Coitu Martis, Mercurii, & Lunæ arguta ſed ſubdola redduntur ingenia, *Peuſerus l. de Divinat. ſ. de Aſtrologia.* Verum hæc minor eſt conjunctio. Magna illa , quam nobis Saturnus & Iupiter adferunt. Septuageſimo anno, ducenteſima una accidit die. Percurruntur ſigna Zodiaci, ut ſub primi initium conventus, fiat conjunctio planetarum; revolutionem dixere periti. *Alſtedius in theſauro Chronologico.* Septem à mundi numerantur conditu, & ſine comitatu nullam extitiſſe inſigni, conſtans dedit obſervatio. Heroica erant primâ conjunctione omnia: Noachi ſpernebantur conciones ſecundâ: preſſuræ in Ægypto ſummæ tertiâ : quartam ſeptendecim annis pòſt, Romæ excepêre incunabula: vigeſimum ſextum Chriſti quinta annum vidit: ſextâ Pipini & Caroli donationem obtendebant Pontifices: ſeptimam inſigno Sagittarii milleſimus ſexcenteſimus tertius, nobis natalis attulit, annus : minimam in Leone milleſimus ſexcenteſimus vigeſimus tertius. Quid hæ ſint allaturæ , Deus novit. Alias Vrbs Roma octingenteſimo ferè anno, ſub ſuis ſignificationibus igneis renovata creditur. Sub initium illius Iudæorum accidit diſperſio , quid ſi ſub finem accidat collectio? Veteres exiſtimavere vultus hujus ſeculi ſubjectos eſſe cœleſtibus, Scorpionem cœleſtem terreno imperare. Certè Theraphim Rabbi Elieſer ſtatuas fuiſſe exiſtimat , quæ ad certas conſtellationes formatæ, certis horis reſponſa dedere. Palladium illud *διοπετές* à Mathematico quodam *ὡροσκοπίας καλλίστε* confectum, & humana pelle obductum fuiſſe, Iohannes Antiochenus reliquit. Crocodili imaginem plumbeam ad crocodilos repellendos Achmed Ben Tolon Calipha, igne ſolvit. *Scaliger Exercitationum centeſimo octuageſimo ſexto.* Et de Gerberto apud Malmoburieſem quid dicitur ?